


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

2994



Por wigilian

ka; Tręba

Opalin'ski.

oo; Wzywane

JOHANN WILHELM STONI  
HISTORICUS

DE

JOHANNEM

SCHLICHTING

DE BUKOVIC

DE BUKOVIC

DE BUKOVIC


DE BUKOVIC

DE BUKOVIC

DE BUKOVIC

DE BUKOVIC

DE BUKOVIC



1639

301. 318

JOHANNIS JONSTONI  
DOCTORIS MEDICI

AD  
GENEROSUM DOMINUM

IOHANNEM  
SCHLICHTINGK

DE BUKOVVIEC,

TERRÆ VVSCHOVENSIS

IUDICEM

præmaturum filii primogeniti obitum  
lugentem

CONSOLATIO.

6.667

JOHANNIS IONSTOMI  
BOLLOXIS MEDICI  
AD  
GENERSUM TOMIUM

JOHANNEM  
SEHLEINCK



XVII - 2994 II

CONSOLATIO

Generoso Dno.

Johanni Schlichtingk de  
Bukovviec

Terræ Wschovensis Judici  
JOHANNES JONSTONUS M. D.

*Salutem & solatia.*

**S**olarer acerbum filii fu-  
nus lugentem, an silerem, diu mecum  
deliberabam. Ibi, impar recenti & domestico  
dolori consolatio videbatur, afflicto & ma-  
gnum vulnus malè ferenti, paulisper cedendum esse sciebā,  
& metuserat ne immatura medicina in perniciem verteret.  
Hic, jus sibi morā facere tristitia, omnia in se saviētia novissi-  
mè acerbitate pasci, leviozem medicinam orientia mala re-  
stingvere, ve hementius contra inveterata pugnandum, oc-  
currebat. Tandem tamen silentium eo consilio rupi, ut levi-  
oribus remedijs uterer, quo quæ in tumorem perturbatio-  
nib9 in fluentib9 induruerunt, ad acrioris vim medicaminis  
recipiendam, tactu blandiore mollescerent. Id me obtentu-  
rum existimo, si nihil esse in hominis, vitæ, mortis, defun-  
cti; Tua conditione, quod luctum vel incuriat, vel non infrin-  
gat, ostendero. De hominis conditione ut dicam, certis eunt  
cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extingvi. Quæ-  
cunq; vides supra nos currere, & hæc quibus innixi & impossi-

ti sumus veluti solidissimis, carpentur & desinent. Non semper sydera postquam occidere orientur. Unicum momentum omnia sepeliet; & æternis tenebris tot mille annorum lux tumulabitur. Eadem mortalium conditio. Opera vide. Quicquid ante actor. annorum exstruxit ambitio, solo & flammis æquata videntur. Multi Trojæ, Carthaginis, Numantiæ, veteris Romæ, & si quid altius cecidit, cinerem lamentabantur. Una nox aliquando interfuit inter urbem maximam & nullam. laborat Annalium fides ut Vejios fuisse credamus. Vitam attende. Omnis nos horapertacitos fallentesq; cursus applicat fato, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione, districti, per exigua festinantis ævi momenta præmorimur. Nec ætatis, nec conditionis ulla hic habetur ratio. Modò acerba ad cæreum & faces ducuntur funera; modo in cineres redacta tumulantur corpora. Mors Sceptra ligonibus æquat. Nil perfusum ingenti literarum flumine ingenium; nil missa magnis gestis ultra invidiam gloria, nil in altum structæ divitiæ cuiquam profuere. Et qui prodesse? Hæc immutabilis supremi lex est, ne caduca perennent, hoc tristi necessitatis privilegio mortalitas damnata. hoc vectigal naturæ debitum solvendum est. Cur ergò doleas? Quisquis aliquem quæritur mortuum esse, quæritur hominem fuisse. Grande solatium cum universo rapi. Magnum, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnes passuri. Ideò mihi videtur rerum natura quod gravissimum fecit commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur æqualitas. Debuisse malles quam contracta dispunxisse nomina? Hæc mihi de termino cogitanti, vitæ ipsius conditio incidit, in qua quid Tibi tam vehementer blandiatur, ut desiderium defuncti eliciat, videre satis non possum. Non est certè delicata res vivere. Vitiorum & vicissitudinum palæstram rectissimè dixeris. Vitiorum inquam. Da





enim mihi tempus quod Clodios non tulerit. Da ingenium quod sine venia fuerit. Flagrant quo ad vivimus delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens vires operatur. quin consentiunt jura peccatis, & licitum nobis est, quod publicum esse existimatur. Vicissitudinum dixi. Nonne ipsam multæ circumstant minæ; & per multas offensas emetiendum est confragosum egeriter? Ecce natura primum nascentium omen fletum esse voluit; seu ut ille ait, abjecit nudos natali die ad vagitus. Natis quanta impendent mala! Cuncta ad usum data in perniciem sæpissimè abeunt. Nullum momentum extra periculum mortalibus. Immèta circumstat perituros hostilitas. quod non expectas extraverso fit, & super nos fortuna negotium curat. Rex es. Qui ante jactabat vires imperiij sui de tam magna nave ne tabulam quidem naufragus habet. Nec multū temporis interest inter soliū & aliena genua. Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit horam momentumque imperijs evertendis sufficere. Dives es. Sæpe expugnata paupertas novā mendicitate revocatur. In honore Te posuit fortuna. Confragosa in fastigium dignitatis via. Quo plura adeptus eò magis inlubrico. Exanimaberis & trepidabis quoties despexeris in magnitudinis Turæ præceptis. Eruditus es. Vidi ego rerum naturam in numerato habentes unico ictu in infantiam recidisse; & remotioribus immoratos ad suam caligasse vicinam. Id verò maximè in societate humana deplorandum, quod, cum tempestas minetur antequam surgat, Crepent ædificia antequam corruant, subita ex homine homini sit perniciēs, & eo diligētius tegatur quo propius accedit. Quid tum inquires? Ulysem non fuisse tam irato mari natum ut ubique naufragia faceret animadverto. Non habet quod de vita quærat, qui bene aliquando habet. Sic est. Stellarum iste cursus quicquid præterijt repetit. pars cæli le-

vatur assidue assidue mergitur. Habet has vices conditio  
mortalium ut secunda ex adversis, ex secundis adversa nas-  
cantur: hoc maximum observes velim, quod magna sit ad-  
versorum moles; punctum, quod inter secunda ponitur.  
Natura certè imbecillitatis humanæ tardiora sunt remedia  
quam mala. Nulla calamitas absque comitatu venit. se-  
cundorum dulcedo semper amaritudine perfunditur; nec  
ulli magis indignatur fortuna, quam quem indulgentissi-  
mè habuit. Sic inter supplicia viventes tabescimus, & toti-  
ens per stillicidia amittimus animam, quam semel exhala-  
re poteramus. Cur ergo filium vivere desideres? Extra vitio-  
rum & pœnarum confinia positus est qui vivere desit.  
Fluctuant & volutantur viventes. extra vitam delatorum  
regnum est, nescire vicissitudines, adversorum intercursum  
non tangi. Pergo ad mortem, in qua si quid est quod luctum  
& alia per quæ dolor tumultuatur excitat, vulgare illud  
nimis. Vacuum hospite animâ domicilium; exuta gratia  
sua membra; exsangve, mox in vermium scaturiginem dis-  
solvendum corpus, & vel solum illud, fuit, metum vulgo  
incurrit. Alijs tam levis mors est, ut festinato & semel to-  
ram januam pandente letho adversa effugerint. mori potius  
quam vultum aspicere Tyranni maluerint, rudem nimis  
putarint qui morte pœnam exigat. Et sane, in hoc tam  
procelloso & in omnes tempestates exposito mari navigan-  
tibus nullus portus nisi mortis est. Ultra eam mala nostra  
non exeunt. Reponimur in tranquillitatem. Afferit namq;  
in libertatem servos. liberat compedibus captivos. sceleribus  
eximit pios. Cur ergo mortuos plangimus? Transitus est ad  
vitam mors ista. Solvitur legibus servitutis humanæ qui  
moritur. Vivit Alexander tuus. Integer ille & nihil in  
terris relinquens excessit, & sublatus inter felices currit  
animas. At dolendum in flore adolescentiæ spe magna de  
se concitata excessisse, diutius vivere potuit. Verum est.

Adolescens occubuit. At felicitatis est non diu fluctuare.  
Cæduntur naufragio collisæ à tempestatibus classes. Periculo defungitur qui citissimè portum attingit. Multum multis diu vixisse nocuit. Pompejum eertè exigui temporis adjectio fastigio suo depulit. Festinata mortis grande solatium tulit Agricola, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo & velut uno ictu Remp. exhausti. Spem magnam de se dedit! Non semper recta ingenia qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt. Sæpe sera luxuria invalit, & coegit dehonestare, speciosa principia. Sed teneant gradum. Taceo alios casus; insitum mortalibus natura ægris oculis aliorum felicitatem introspicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. At multos invidia inopiantes securosq; disjecit procellæ more, quæ in ipsa sereni fiducia solet emergere, aut fulminis subiti, ad cuius ictum etiam vicina tremuerunt. In Tuo filio, quicquid erat, in alto erat positum. At quicquid ad summum venit, ad exitum properat. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus. nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. Diutius vivere potuit! Nemo nimis citò moritur. Stat terminus nobis ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit. solvitur quod cuique promissum est. Non est itaque quod & ex hac parte doleas. Quod si nec istis quæ allata sunt moveris. Te Tuamque conditionem inspicias velim. In multa Te luce fortuna posuit. Haud invidiosus prudentiæ Tuæ rivus in Oceani famam se diffudit. Multorum per ancipitia fluctuantium cursum dirigis. Ut miles in media pace decurrit sine ullo hoste, & supervacuo labore, lassatur, ut sufficere necessario possit: sic Tu in ipsa securitate ad difficilia paratus, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmatus putaris. Ne itaque Tibi desis. Equae

re cum fortuna gradum debes ut famæ respondeas! Si  
quid obstitit nubium modo interveniat, quæ infra feruntur  
nec unquam diem vincunt. Vir sapiens esse crederis! Libe-  
at ergo illic stare, ubi ipse sol trepidat. Tot amnes, tantum  
supernè dejectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis  
fontium, non mutant saporem maris nec remittunt. nec  
adversarum impetus rerum tuum vincant animum. Calami-  
tates imposterum sub jugum mittere, nec secundis enerva-  
ri cupis! Calamitas ergo virtutis sit occasio: contemptum  
periculorum periclitandi occasio faciat. Non fert ullum i-  
ctum illæsa felicitas, magis urgent sæva inexpertos. lang-  
vent per inertiam saginata; nec labore tantum sed mole &  
ipso sui onere deficiunt. Non est arbor solida nec fortis nisi  
in quam ventus incurfat; ipsa vexatione constringitur, & ra-  
dices certius figit. Fragiles sunt quæ in aprica valle creve-  
runt. Vides ergo Generose Domine, Alexandrum Tuum  
abreptum, quia homo diurnare non potuit. Abreptum,  
ut vitijs & vicissitudinibus eximeretur. Abreptum, ut in  
portu quiesceret. Vides, immisum Tibi hoc vulnus, ut  
ostenderes par Deo dignum, virum sapientem cum fortu-  
na compositum: Immisum, ut periculosa felicitatis intem-  
perantia intercideretur, & altior in futurum surgeres.  
Hæc itaque meditare, & ad animum admitte: quod si fe-  
ceris, Vincetur, spero, malum, reddet se origini suæ ani-  
mus, & feretur eo quo fortuna manum porrigere non po-  
terit. Vale. Ex Musæo VI Junij M DC XXXIX.





8787

8111  

---

0

